

fuorum, ad omnia, quæ voluit benignos, obedi-  
tesque habuerit. *Adam. c. 35. Abeant ergo a tatis  
hujus iniquissimi reprehenses, Zoili; & sigillare de-  
finant Pontificum avaritiam, cum Principes majores  
Dominosq; suos tanquam ære & libra ab Ecclesia cõem-  
ptos, & novo adoptionis genere non per armorum, vel  
hasta traditionem, vel per comam, aut capillorum incisi-  
onem, sed munerum largitione, ceu divum hominumq;  
efficaci blandimento, meminerint edomitos, & sub Chri-  
sti tandem jugum missos.*

XXIV. Theodoricus Monasteriensis Suitgeri  
successor.] *Ditmarus lib. 7. Chron. unde hæc tota nar-  
ratio. Hujus successor, inquit, Thiedericus mater-  
teræ meimet filius.*

XXV. Proximo anno.] *Vritur Prochronismo. Nam  
expeditio hæc Italica in autumno ejusdem anni MXIII  
suscepta. Sequenti Henricus in urbe creatus est Imper-  
rator; & Meinwercus ibi præsens privilegium, &  
Sanctorum excurvias à Benedicto VIII. retulit.*

XXX. Cluniacum Henricus Imp. cum Meinwer-  
co adiit.] *Ad verbum huc nonnulla transcripta ex  
cap. XXVI. vite S. Henrici à R. P. Gretz. ero nostro cum  
Divis Bambergensibus edita. Quam vero Coronam  
auream, ex S. Odilonis vita Baronius ad an. 1014. re-  
petit, Odiloni missam hic animadvertis ab ipso Impera-  
tore inter divina Mystera Cluniacensi Congregationi  
oblatam. Sed quod ex Kranz. Metz. l. 4. cap. 4. ibi-  
dem refertur, ad an. 1015. Baron. de Monachis Clu-  
niaco ab Henrico Imperatore Patherbronnam abdu-  
ctis, id duplici mendo vitiosum. Primo, quia Mein-  
wercus*